

24 1702 264
C77.

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGURALIS,
DE
DELATIONE
IVRAMENTI
IN
MATRIMONIALIBVS,

Von der
Eydes-Delation in Ehe-Sachen,

QVAM
P R A E S I D E
DN. IO. SAMVELE STRYCKIO,
D. PROF. PVBL. ORD. ET FACVLT. IVRID.
H. T. DECANO,

IN ILLVST. ACADEMIA FRIDERICIANA

A. 1702. Mense Febr.

RESPONDENDO PROPUGNAVIT
PAVLVS KRIEBEL,
NEOSTAD. VARISC.



*HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS HENDELIANIS, 1739. (5)*



I. N. I.

DE
DELATIONE IVRAMENTI
IN MATRIMONIALIBVS.

§. I.



Agna iuramentis vis inest & auto-
ritas, cum ipse DEVS a iurante magni auto-
ritas.

in testem non modo, sed & vindictem,
si peierauerit, inuocetur.
Hinc Cicero 13. Offic. Nullam rem,
dicit, efficaciorē a maioribus excogita-
ram effe quam iurisiurandi religio-

nem. Iuramenti enim fidem si
quis fallere non permescat, is omnem de Numine
supremo sensum, omnem religionem exuisse censem-
sus, & contemptor diuinæ maiestatis impudentissimus
est. Ut adeo perjurium inter maxima hominum cri-
mina non minimum, sed & blasphemie species sit. Perjurium
Nam qui fidem iuramento datam flocci habet, is non blasphemie
potest non simul & omniscientiam Dei, & iustitiam e-
ius, potentiamque infinitam, ac per consequens Deum
ipsum, negare. Quod an verbis, an vero re ipsa vel

A 2 facto

4 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

facto fiat, perinde est. Nec enim verbis tantum colitur Deus, sed simul, & potissimum quidem, animo: ac proinde blasphemus esse potest, etiam is, qui nullum in Deum contumeliosum verbum euomit.

*De Origine
iuramento-
rum.*

§. II. Quodsi vero iuramentorum naturam penitus cognoscere animus sit, non inutile erit rem altius repetere, & ad ipsam eorundem originem respicere. Ceperunt autem iuramenta non simul cum hominibus, sed longe iis recentiora sunt. Quodsi enim homines in statu, quo creati sunt, innocentiae consideremus, in quo, quamdui subsliterunt, veritatis omni ex parte erant amantissimi, facile apparer, iuramenta tum nulla fuisse, neque usum eorundem esse potuisse, si ea in conditione permanissent: nam adeo perfecta fidei erant, ut, iuramentis sibi eandem conciliare, fuisse soli lucem accendere. Sed postquam fidem Deo datam fallere inceperant homines, tum nec religione sibi ducebant inter se perfide agere. Id quod, crescente malitia hominum, quotidie maiores agebat radices, ut tandem periculosisimum fuerit, solis hominum promissi niti, qui omnis amoris & fidei sua immemores erant. Cui malo ut aliquid remedium quererent, iuramenta a se inuicem exigebant, ut fidem sibi in conspicitu Dei darent, eumque expresse ut vindicem inuocarent, si promissis suis stare derrectauerint. Quo ipso effectu se sperabant, ut eo sanctius custodirentur pæta & promissa, cum nemo facile præsumatur eo usque temeritatis procedere, ut ineuitabilem Dei vindictam ad se trahere non reformidaret.

*Iuramentum
lumpersum* §. III. Quæ cum ita sint, nunc ulterius progreoperatur su-diendum, videndumque an fidem indubitaram faciant lumpersum-iuramenta? Id quod statim negare non dubitamus.

Quod si

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS.

5

Quodsi enim ad praxin respicimus, plura occurrunt, *sionem veritatis.*
periuria ab hominibus passim perpetrata, quæ satis documento esse possunt, iuramentum non esse certissimum veritatis signum, quia alias nullo casu fallere debet. Quid ergo operatur? Nihil aliud quam præsumptionem veritatis; cum non videatur homo sanæ mentis eousque audacia procedere, ut omnipotentem Deum adeo perficitæ fronte contemnere, eiusque vindictam certissimam sibi attrahere voluerit. Quorsum asserta doctorum pertinent, quando afferunt, neminem præsumi immemorem salutis æternæ, & non præsumi periurium, maxime si homo sit probatae fidei & honestæ vitae. Modest. Pistor. *P. i. qu. 46.* Hippol. de Marsil. *singul. 273. n. 10.* Inde eiusmodi est hæc præsumptio veritatis, quæ ex iuramento præstito oritur, vt ceu alia præsumptiones, veritati cedat, acita, comperto contrario, tota iuramenti fides simul corruat.

§. IV. Sed ista quoque veritatis præsumptio, non *fides iuramenti est a persona iurante.*
ex ipso iurandi actu, sed personæ conditione descendit; infants enim iuramentum, licet iisdem verbis prolatum, nullam tamen fidem facit, ob deficientem in iurante intellectum. Quam ob causam ius Canonicum tres iuramento comites dedit, veritatem, judicium, iustitiam. Id quod non modo in iis personis, quæ naturali defectu laborant iuris est, sed in his etiam qui intellectu naturali prædicti sunt, quorum depravata tamen & ad omne malum prona est voluntas; quo doctorum ista regula pertinet: Fides viri non dependet a fide iuramenti, sed fides iuramenti dependet a fide viri, siue vt Chrysostomus *homil. 7. ad popul. Anziochen.* loquitur: *Hominem fide dignum facit non iuramentum, sed vita testimonium, & conversionis integritas.* Quid ergo requiritur

A 3

tur

6 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

*non sufficit
scientia.*

tur in persona iurante, vt fides iuramento eius haberi possit? Certe non sufficit scire quid sit iuramentum, quid illud de quo iuratur, quæ pena periurii; nec sufficit in externo fidelium cœtu esse, & religioni etiam optimæ nomen dare: hæc enim sciunt & faciunt etiam illi, qui tamen iuramenta violare religioni sibi non ducunt; quorum proinde iuramenta fidem nullam faciunt; vti & in praxi non solent ad iurandum admitti, quos, propter pessimum vita genus, peierantur. Sed requiri-turos probabile est. Plura ergo requiruntur, præter tur conscientia. externam illam notitiam eorum quæ ad iuramenta sunt necessaria. Scilicet vt iurans verum de Numine sensum habeat. Sensum inquam, & eo ipso viuam DEI cognitionem, viuamque fidem, quæ cum vera abnegatione sui ipsius, & summa erga creatorem cœli & terra reuerentia coniuncta est, indigit. Hanc enim si quis mentem induerit, is vero omnia potius sustinebit, quam vt iuramentum præstitum violet, & pro huius iuramento erit firmissima veritatis præsumtio, si non fides ab eo facta pro indubitate potius habenda. Eleganter Clemens Alexandrinus Stromat. lib. VII. pag. 728. 729. Longe autem abest, ut quia in tali pietate probatur & diiudicatur, sit ad mentendum propensus & ad iurandum: est enim iuriuandum confessio definitiva cum diuina assumptione. Qui est autem semel fidelis, quomodo seipsum infidem prebuerit, ut etiam opus habeat iureiurando & non ita vitam instituat, vt ea sit firmum ac definitum iuriuandum, fidemque ostendat confessionis, in constanti stabiliisque vita & sermone? -- Qui autem iuste vivit, nihil ex iis, quæ decet fieri transiliens, ubi examinatur iudicium veritatis is factis vere & saecle iurat. Est ergo ei superfluum lingua testimonium. Cum sit ei semper persuasum, Deum esse utique

85

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS. 7

*E*s erubescat non verum dicere, & falsum dicere cognoscat se esse indignum, diuina & sua ipsius contentus est conscientia -- Ea ratione neque iuroz, si fuerit rogatus ; neque unquam negat, ne falsum dicat, etiam si moriatur in tormentis. Contra *Impiorum* vero si quis alio animo est, ille nullam fidem meretur, *iuramenta* etiam sapienter iuramento. Qui enim non ve- nullam fidem habent. rentur præcepta Dei quotidie scienter violare, cum tamen notum iis sit, vindictam diuinam transgressoribus sanctissimarum legum certissime imminere, non verebuntur etiam periuria promissime committere. Quis ergo audeat pronunciare, horum iuramenta vel minimam veritatis præsumptionem operari ?

§. V. Inde illud etiam consequitur, ad eruendam veritatem per se necessarium non esse iuramentum, sed pertinere hoc ad cautelas abundantes. Satis sarium ade- enim ex primis diuini iuris principiis, imo & ex ratio- ruendam ve- ne naturali constat, non modo tum non esse falsum di- cendum cum iuratur, sed & cum sine iuramento testi- monium perhibendum est. Quo facit *Can. 12. Caus. Inter iuramenta* non est nec- *XXII. qu. V.* cuius hæc verba sunt: *Iuramenti hæc causa mentum &* sermonem *est, quia omnis qui iurat, ad hoc iurat, ut quod verum est elo-* ritatem. *quatur.* Et ideo Dominus inter iuramentum *& loquelam non* differentia, *stram nullam vult esse distantiam: quia sicut in iuramento* *non debet esse* *nullam conuenit esse perfidiam; ita quoque in verbis nostris* *nullum deber esse mendacium.* *Quia verumque & perjurium* *& mendacium diuini iudicii pena damnatur, dicens scriptura:* *Os quod mentitur occidit animam (Sap. I, ii.)* *Quis quis ergo verum loquitur iurat, quia scriptum est: testis fidelis non mentitur. (Prou. XIV, 5.)* *Quia in re hodie nimium quantum peccatur, & nescio annon eo ipso, quod hodie nimium exigantur iuramenta, tacite occasionem acceperint homines existimandi, non necessum esse ut* verita-

3 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

veritatem dicant, si non iuratum testimonium ab ipsis
exigatur. Quodsi ergo testimonium veritatis ab eo
exigatur, qui Deum vere timet, & scit se non tantum
non peierare, sed nec mentiri debere, ac vtriusque ra-
tiones grauissimas Deo in extremo iudicio reddendas,
is non diffitebitur quod verum est, etiam si iuramentum
nullum præstiterit: Vicissim autem, qui Diuinam vin-
diætam non reformidat propter mendacia, neque eius
intuitu a periurio abstinebit, vt supra diximus. Ut
adeo manifestum sit, ad eruendam veritatem, præsta-
tionem iuramenti per se nihil conferre. Nisi dixeris,
saepet tamen homines, quando ad iuramentum præstan-
dum adiunguntur, veritatem ut confiteantur adstringi.
Sed respondeo, hoc fieri per accidens, ad quod forte in-
duci etiam possent, si serio monerentur inter mendaci-
um & periurium nihil interesse. Imo quot periuria
committuntur nihilominus in iudiciis, etiam ab iis qui
de vitando periurio grauissime satis admonentur? Ut
adeo hic effectus iuramentis tribui non possit, cum a-
lias semper id operari deberent.

*Obiectio re-
monstratur.*

*Rolp. Carere
potest iura-
mentis.*

§. VI. Ex quo porro facilis est responsio ad qua-
stionem, an in Republ. carere possimus iuramentis?
Evidem si ex mente doctorum plororumque res de-
cidenda esset, negatiua vtique sententia præualeret, a-
deo enim necessaria creduntur iuramenta, ut sine his
nec lites decidi, nec veritatem perfecte indagari posse,
credatur. Verum si penitus rem consideramus, non
possimus non amplecti contrariam sententiam. Cum
enim ex antea adductis rationibus pateat, impiorum
iuramenta non mereri fidem nisi levissimam, piorum
autem assertionibus non minus credendum esse, quam
eorum iuramentis, facile inde constare poterit, iura-
mento-

mentorum usum in Republ. esse superfluum, & veritatem haberi posse etiam sine iuramentis. Cuius rei exemplum nobis præbet Resp. iudaica, in ea enim testimoniis creditum non fuisse nisi iurato deposuerint, ne. *Exemplum in republ. Iudaica.*

mo ex sacra scriptura probabit, cuius tamen aliqua vestigia ibidem reperientur, si alias eorum testimonia non debuissent admitti. Et tamen sufficiebant sola duorum vel trium testimoniis asserta, etiam ad peccatum capitum *Deut. XVII, 6. Num. XXXV, 30.* Quodsi ergo in rebus grauissimis, quæ vitam hominis concernunt, veritas haberi poterat sine iuramento, quis dubitet, multo magis in minoribus causis idem obtinere posse. Ut sic inde satis pateat iuramenta sine præiudicio veritatis abesse posse a iudiciis. Verum hoc casu necessum est ut mendacia grauiter puniantur in iudiciis, quæ mendacia hodie, proh dolor! nimium quantum sunt impunita. *grauissime* Nam eo remedio usus est diuimus legislator in sua re-punienda. *publ. iudaica*, qui testem, mendacium dicentem aduersus fratrem suum, iussit eadem peccata affici, qua alter, contra quem testimonium dicebatur, afficiendus fuisset. *Deut. XIX, 18. 19.* Vbi notanter *v. 20.* additur: *Vt audiant reliqui & timeant fibi, nec eiusmodi mala amplius faciant in medio tui.* Quo ipso simul innuit spiritus sanctus, non melius absterrerri posse reliquos a mendaciis & falsiloquii, quam si illa grauissime puniantur. Hinc sapientissimus Regum, Salomon, *Testis,* inquit, *mendacium dicens non impunitus erit & qui profert mendacia non eripietur.* *Prov. XIX, 5.* Quodsi ergo in *Et admonendi homines* republ. iudaica, cuius legislator erat ipse Deus potundi, erunt sine iuramentis solennibus exerceri iudicia, cur de veritate non in aliis quoque rebus publ. idem obtinere posset; *dicenda.* maxime si in iis casibus, vbi metuuntur mendacia, ho-

10 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

mines serio admonerentur sui officii, ipsisque inculcatur, grauissimam Dei vindictam certo fecuturam, si veritatem non dixerint, eodem modo ac si perjurium commiserint, Deum enim cor inspicere, non verba, an simpliciter, an per modum iuramenti concepta sint. Quo ipso triplex bonum obtineri potest: Primum, ut ita eodem modo euitari mendacia possint, ac per ausitionem de vitando perjurio: Secundum, ut obuiam eatur conscientiis anxiis, eorum, qui ex optima intentione a iuramentis abhorrent, & sic alias in iusta causa succumbere tenerentur, quorum, rationem habere, ipsa a nobis pietas exigit: Et tertium, ut via praefindatur tot peruriis ac profanationibus diuini nominis.

*Vtilitas bu-
ius rei.*

*Iuramenta
superflua
non exigen-
da.*

*Consideran-
da persona
que iurare
tenetur.*

§. VII. Hac vero eum in finem adducta, ut, quamdiu iuramenta apud nos in usu sunt, discamus, caute procedendum esse neque facile ad exactiōnē iuramentorum conuolare debere iudicem, nisi summa ipsum necessitas adstringat & aliud remedium finiendo litem non supersit; nam alias haud dubie in vacuū sumitur nomen diuinum quod æque peccatum est ac perjurium ipsum. Imo & illud ex superioribus patet eo etiam casu, ubi iuramenta secundum leges receptas necessario præstanta, iudicem tamen mores & animum iuraturi probe considerare debere, neque exigere ab eo iuramentum, quem scit, saltim morali certitudine, peieraturum esse. Egregie hanc in rem Augustinus, relatus in ius Canonicum *Can. 5. Caus. XXII. quæst. V.* Ille qui hominem prouocat ad iurationem, & scit eum falsum esse iuraturum, vincit homicidium; quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas, & eius quem iurare prouocauit, & suam. Ade-

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS. II

de alium Augustini locum in *Can. 6. Caus. XXII.*
quaest. V.

§. VIII. Interim, quamuis verissimum sit iuramenta in iudiciis omni ratione restringenda & coarctanda, ob maximum quod concurrit animarum periculum, non tamen faciendum hoc ex causis iniustis, si alias necessitas decidendi item exactionem iuramentorum vrgeat, & ceteroquin persona, a qua iuramentum exigitur eius sit conditionis, ut non facile merendum sit perjurium, altera autem pars ipsi fidem sine iuramento habere nolit. Cuius rei exemplum est in matrimonialibus, vbi Doctores communiter iuramentum delationem permittunt, si pro matrimonio factum, non vero si præstatio eius contra matrimonium tendat. Hinc si mulier agat contra masculum ex causa promissi matrimonii, &, in casum negationis, ipsi iuramentum deferat, huic non permitunt ut iuramentum delarum præstet, quia tenderet contra matrimonium. + Ceu pluribus tradunt Carpzouius in *Iurisprud. For. P. I. cap. 12. def. 30.* & *Conſt. 22. d. 3. n. 1.* *Iurispr. doctorum Eccles. l. 2. def. 233. n. 6.* & *lib. 3. def. 44.* Ioach. a Beust. ad *L. communis.* *Ait Prator. 3. ff. de iure tur. n. 63 seqq.* & *Tr. de Sponſal. P. 1. c. 58.* Gail. l. 2. obſ. 94. n. 13 seqq. Bruckner *Decif. matrim. cap. 2. n. 4.* Richter *Dec. 8. n. 26. seqq.* Borcholt. *Tr. de iure tur. cap. 5. n. 23.* Meu. *P. 5. Dec. 110. n. 4.* Schneidew. *ad ff. 11. Inst. de Action. n. 26. seqq.* Hilliger. *ad Donell. l. 24. c. 17. lit. I. in med.* Heig. *P. 2. quaest. 16. n. 4. seqq.* Nicol. *derepud. cap. 1. n. 68.* Setsler. *de iurament. l. 4. c. 4. n. 7.* & *ibi allegari.* aliquae Doctores fere omnes. Hanc ergo communitatem Doctorum sententiam, vt pote rationibus nullius trouersis momenti nixam, in præsenti impugnare, & ex gravissimis causis relicere animus est; ostensuri, etiam

12 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

contra matrimonium delationem iuramenti validam esse. Vbi, vt ordine procedatur, primo rationes communis sententia præmittemus, & postea, substitutis rationibus validioribus sententiae contrariae, quam in præsenti defendere conamur, quid ad illas respondendum sit, suppeditabimus.

*Ratio 1.
Communis
sententie
quod matri-
monium sit
indissolubile.*

§. IX. Videamus ergo quibus argumentis doctrinam suam stabiliunt Doctores, & primo quidem fundamentum constituunt in ipso indissolubili matrimonii nexu, cum non tantum humanis legibus indivisa vita consuerudo dicatur, sed ipso etiam diuino iure eius dissolutio prohibita sit; quos enim Deus coniunxit, homo separare non debet, vt Christus loquitur *Mattb. XIX, 6.* Qui propterea varias illas diuortiorum species iudeis in Vet. Testamento permisssas, sustulit, & non ex alii causis, quam ob adulterium, diuorium concessit. Inde autem manifestum esse dicunt, non admitti posse iuramentum contra matrimonium, cum alias præstito iuramento dissoluendum esset, contra manifestam iuris diuini & humani dispositionem.

*Ratio 2.
quia sponsa
vxor appellatur.*

§. X. Neque vero hoc tantum ad matrimonium consummatum restringendum esse afferunt, sed in matrimonio per sponsalia ccepto idem quoque iuris esse, cum plerumque in sponsalibus idem quod in matrimonio iuris sit, & quod de vxore dicitur, etiam in sponsa obtineat. *L. Nibil intereff. Rerum amotarum L. in spons. 7. f. 1. ff. de spons.* Vnde & in sacris literis Iosephus Mariæ maritus, & haec ipsius vxor dicitur; *Mattb. I, 18. 19. 20.* Qua de re Augustinus relatus in *Can. 9. Caus. XXVII. qu. II.* ita loquitur: *Coniux vocatur a prima fide desponsationis, quam concubitu non cognoverat Iosepb, nec fuerat cogniturus, nec*

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS. 13

nec perierat, nec mendar monserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat, vlla carnis commissio. Quod documento satis est, inter sponsalia & matrimonium ratione Dei nihil interesse. Sicut in veteri testamento sponsa etiam vxor appellatur *Deut. XXII, 24.* Quam in rem Gregorius *Can. 22. Caus. XXVII. Qu. II. diuinæ*, inquit, *legis est mos, sponsas appellare coniuges.* Et Isidorus in *Can. 6. Caus. 5. Qu.* *Coniuges verius appellantur a prima despunctionis fide, quamvis adhuc ignoretur inter eos coniugalis concubitus.* Vnde & adulterium in solam sponsam committi, constat tam ex legibus humanis *L. Si uxor 13. ff. 3. ad L. Iul. de Adult.* quam diuinis *Deut. XXII, 23. 24. Hof. IV, 13.* Ex quibus causis generaliter asserunt doctores, inter sponsalia & nuptias, quoad indissolubilitatem, ut loquuntur, nihil interesse: Inde quemadmodum iuramento non potest dirimi matrimonium, ita nec sponsalia posse. Vnde dictum Christi, quos Deus coniunxit homo ne separet, etiam ad sponsalia pertinere dicit *Meu. P. V. Dec. 110. n. 3.*

§. XI. Quibus accedit quod Deus non modo sit *Ratio 3.* autor matrimonii, sed & sponsaliorum; Est itaque ob- *quia sponsa-*
ligatio sponsalitiae juris diuinæ: imo & ipsum negotium *lia sunt res* *spirituale dicitur, cuius ea natura & indeoles est, vt o-* *spiritualis.*
mni ratione conseruandum & non dissoluendum sit.
Hinc Pontifex in Cap. 2. de translat. Episc. Inter corpora-
lia, inquit, & spiritualia eam cognovimus, differentiam, quod
corporalia facilius destruuntur, quam conseruantur, spiritualia
autem facilius conseruantur quam destruuntur. Multo
minus ergo in cuiuslibet priuati potestate esse debet,
pro suo libitu rescindere negotium hoc, si quidem ea
quæ spiritualia sunt arbitrio hominum sunt exēma,
ea vero de quibus iuramentum præstandum, oportet

14 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

ut in potestate iurantium sint, cum alias iuramentum esset superfluum, quod autem iuratum non releuat, ad illud iuramentum merito nemo admittendus.

*Ratio 4.
quia per
sponsalia fe-
dus cum Deo
initur.*

§. XII. Cum ergo adeo intime conueniant sponsalia & matrimonium etiam per sponsalia fædus cum Deo iniiri vrgent, ceu matrimonium fædus Dei dicitur. *Prou. II, 7. Malach. II, 14.* Cum ergo alias fœdera & pæctiones sanctissime custodiri soleant, multo magis id obtinere debebit in fœdere Dei. Sed si iuramenti delationi locus est, non conseruatur, sed potius via ad irritandum illud aperitur, quia, præstito ab altero iuramento, omnino nihil supereft, quam ut omnis diuinus huius fœderis nexus tollatur.

*Ratio 5.
quia non li-
cet compro-
mittere de
matrimonio,*

§. XIII. Sed pergunt Doctores atque vterius pro sua sententia adferunt, quod de matrimonio non licet compromittere in arbitrum vel arbitratorem *Cap. X. de integr. restit.* Ex ratione, ne sit occasio ex arbitrio partium, nuptiarum vinculum dissoluere. *Meu. P. V. Dec. 110. num. 4.* Quod si autem non potest compromitti, nec potest iuramentum deferri contra matrimonium, quia hoc modo res in arbitrium eius, qui iurare debet confertur, nam si iurat, matrimonium dissoluitur, si non iurat, consummatur.

*Ratio 6.
quia trans-
actio contra fin. X. transact.*

§. XIV. Neque enim transactiones licite sunt contra matrimonium, per expressum textum in *Cap. actio contra fin. X. transact.* Vbi in genere iniungitur iudici, partes suas ad componendum interponere, & ad transfigendum ligitantes inducere, excepta causa matrimonii. Quod si hoc, facile sua sponte consequitur, neque iuramenti delationem contra matrimonium validam esse, cum iuramentum tacitam transactionem in se contineat, & vim transactionis habeat. *L. 2. de Iure iur. Et hoc*

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS. 15

hoc argumentum est ex præcipuis quod Doctores pro sua sententia adferre solent.

§. XV. Facit quoque hoc sententia illa docto- *Ratio 7.*
rum communis, quæ in Consistoriis etiam recepta est; *quia sponsa-*
quod non permittendum sit desponsatis personis mu- *lia mutuo*
tuō consensu suo a sponsalibus temel perfectis recede- *dissentu tolli*
re loach. a Beust. *de Iure Connub. P. I. c. 58.* Kitzel *Synops.*
Matrim. c. 8. tb. u. lit. c. Carpzouius *lib. 5. Resp. 108.* alii-
que ab his citati. Exinde vero simul pater, quod non
valeat delatio iuramenti contra matrimonium, quia
alias tacite vtriusque voluntate dissoluerentur sponsa-
lia, dum deferens consentit, ut sponsalia irritentur si al-
ter iuramentum præstare possit, quod dum facit ille,
postea a sponsalibus vtriusque consensu receditur.
Hinc etiam Doctores iisdem fere argumentis pro com-
probanda vtraque sententia vti solent.

§. XVI. Quibus omnibus ultimo addunt si se- *Ratio 8.*
cus statuatur, non posse non grauissima scandala oriri *quia alias*
in republ. Cum omnino res scandali plena sit, ita spon- *non possent*
salibus & matrimonii ludere, & ab iis, tanquam rebus *exitari scan-*
nullius momenti & vilissimis, pro lubitu recedere. *dala.*
Cauendum autem esse omni ratione, ut evitentur scan-
dala in republ. nec omnis matrimonii sanctimonia tol-
latur.

§. XVII. Verum non sufficiunt hæc argumen- *Hæc commu-*
ta, vt nos in partes Doctorum trahere possint, quin po- *nis sententia*
tius confidenter contrarium tuebimur, afferendo de- *recicitur.*
lationem iuramenti non tantum pro matrimonio, sed
& contra illud validam esse, qua in re nobiscum con-
sentit jurisprudentiae Saxonicae decus, illust. Dn. Born.
Disp. de iuramento iudiciali c. IV. n. 6. & illust. Dn. Stryk.
Tr. de Dissensu sponsalitio Sec. III. §. 33. Neque hic exti-
mesci-

16 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

mescimus ingentem numerum dissentientium, si quidem haud infolens est, etiam iniquissimas & absurdissimas sententias a communi Doctorum schola defendi; nam si quidam alicuius autoritatis interpretes praeant, reliqui illos cœco impetu, vt grus gruem, sequi solent, neque prius ad fundamenta sententiae communis respiciunt. Nos autem, qui ab omni autoritate humana abhorremus, tanquam a re, quæ veritatem indagantibus nimium quantum obest, nunc, salua ceteroquin cuiusuis dissentientis existimatione, rationibus sententiam nostram corroborabimus, & deinde argumentis dissentientium satisfaciemus.

*Communis
sententia
non facit ius,*

§. XVIII. Primo omnium autem grauissimum remouendum est dubium, desumptum ab eo, quod tamen communis illa sententia vbius in consistoriis sit recepta: ita ergo frustranea videntur omnia, quæ hic in medium adferri possent, etiamsi optima, cum ista sententia, postquam communiter recepta, ius faciat, etiamsi erronea sit: communem enim errorem facere ius, regula est communis doctorum, cuius fundamentum querunt in *L. Barbarius Philipp. 3. ff. de Offic. præt.* Verum nos potius dicimus, illam regulam, quod communis error ius faciat, esse communem errorem doctorum; neque ex d. L. 3. vñquam probabitur, ex qua tantum illud elici potest, errorem communem saxepe efficere vt actus quidam per errorem gesti sustineantur. Ipsum ius vero efficere nullus error potest, nam illud iustum est, quod legibus conuenit, non quod nec facit *con-fuetudinem.* Doctores afferunt. Sed, dixeris, si tamen communis sententia in iudicis recepta, tum inde consuetudo iudicaria seu obseruantia fit, consuetudo autem facit ius. Verum nos & hoc negamus, quod ex recepta quadam

Docto-

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS. 17

Doctorum sententia oriatur consuetudo valida. Quodsi enim ostendi potest, illam sententiam esse iniquam, & ratione iuris divini & naturalis non congruam, statim omnis efficacia istiusmodi consuetudini erit ademta, cum ad hanc leges expresse desiderent, ut sit rationabilis. Inde si probauerimus aequitatem nostræ & inquitatem contrariæ sententiae, res omnis erit expedita.

§. XIX. Fundamentum itaque nostræ sententiæ constituitur in natura iuramenti & matrimonii. De natura iuramenti supra diximus, ex quibus constat, iuramentum nihil aliud esse quam testimonium veritatis, cui, ob incredulitatem alterius, addimus inuocationem diuini nominis, & contestationem sanctam, ad faciendum fidem. In omnibus ergo causis, ubi locus est veritati, locus etiam est iuramento, hoc enim adhiberi solet, ut veritas eruatur, si alia eam indagandi remedia non supersint: In quo nobiscum consentiunt doctores omnes. Iam autem an vlibi magis necessarium est ut de veritate facti constet, quam in matrimonialibus? Certe, sicut alias non creditur simplici allegationi auctoris, ita nechic credendum est, si quisquam promissionem matrimonii vrgeat, quam altera pars negat. Dum ergo in aliis causis, etiam honestissimis, admittitur iuramentum, deficiente alia probatione, cur in his quoque causis admittendum non sit, non appareat. Quod dubium non tollitur, si dicatur, auctorem, qui in promissione matrimonii se fundat, potius ad iuramentum admittendum, quam reum: Concedo enim hoc, si auctor pro se habeat probationes quasdam, vt iuramento suppletorio locus esse possit, sed de eo casu in praesenti non est questio. Supponendum ergo aucto-

C rem

Probatur nostra sententia (i) ex natura iuramenta.

Quod locum habet ubi veritas alter haberi negavit.

18 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

rem simplici sua assertione niti, aut indicis leuissimis, reum vero promissionem factam negare, & cetero-quin parem rei & auctoris conditionem esse. Hic si auctori concedimus id quod reo denegamus, haud dubie huic facimus iniuriam, eo maiores, cum & reus pro se generalem iuris rationem habeat, qua, auctore non probante nec reo iuramentum deferente, absolu-toria sententia sequi debet. Quodsi ergo regula pro reo militat, docendum esset quod hic casus a regula sit exceptus, quod, cum ex nulla lege expressa probari possit, nam rationibus dissentientium postea satisfaciemus, in regula vbiique subsistendum.

*Et vbi lites
aliter tolli
non possunt.*

§. XX. Quodsi vsum iuramentorum porro obserues, videbis a Doctoribus eadem venditari pro mediis commodissimis sibiendi & tollendi lites subor-tas. Quam in rem ad Apostoli quoque testimonium prouocant, qui *Hebr. VI, 16.* dicit, inter homines iuramen-tum finem esse omnis contradictionis. Quam ob causam a canonistis etiam tortura spiritualis vocari solet iuramentum, ideo, quod & ea quæ in animo consti-tunt manifesta faciat. Dum ergo ad alias lites tollen-das pro habili remedio habetur iuramentum, cur non eadem ipsi efficacia tribuitur, in litibus ratione despon-sationis subortis? Aut ergo tollantur omnia iuramen-ta in iudiciis, aut permittantur etiam in causis matri-monialibus. Nec est ut quis obiiciat, metuendum es-se perjurium in, eo qui contra matrimonium iurat; nam vnde ista præsumptio nascitur? Cur non metui-tur perjurium in auctore, qui pro matrimonio iurat? Annon constat, quot mediis maxime illicitis matrimo-nium ambiant homines? Si ita pro lubitu præsum-ptionibus locus, potest præsumi, omnes pejeratiros esse,

1851

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS. 19

esse, & sic nulli iuramento erit locus. In quæstionibus ergo, an iuramento locus sit vel non, frustra ad causas respicitur: personas earumque mores, & viuendi genus, considerari necessum est, exinde apparer, an fides iuramento habenda vel fecus, ut supra diximus. Si ergo reus talis sit, qui piam ha&ctenus tranquillamque vitam degit, non erit præsumptio, quod potius peierando seuerissimam vindictam diuinam in se trahere, quam matrimonium cum ea cui fidem dedit ineundo, tranquillam conseruare conscientiam velit: Cum & per diuinam gratiam omnes matrimonii molestiae superari possint.

§. XXI. Matrimonii etiam indoles & natura si (2) Ex natu-probe consideretur, non leue argumentum exinde pro ratione matrimonio nostra sententia peti potest. Evidem non licet totam matrimonii naturam nunc euoluere, sufficit autem ha&c tetigisse, quæ ad scopum pertinent. Scilicet, constat ex lege diuina simul & naturali matrimonium consistere in coniunctione carnis pariter & spiritus. Et te carnis & carnis quidem coniunctio inter coniuges adeo arcta spiritus. est, ut haud raro in sacris literis vna caro vocari, & pro vna persona haberri soleant, cuius caput est maritus, Epb. V, 23 28 29 31.33. Spiritus autem eadem coniunctio vel ideo requiritur, quod sine hac illa esse non possit. Sunt enim vnius corporis plura membra, sed omnia uno reguntur spiritu, cum alias, si contrarii essent duo in uno corpore spiritus, non posset non celer-rime destru&ctio totius sequi. Vt ergo idem velle & idem nolle veram facit amicitiam, ita multo magis ad arctissimam omnium amicitiam, quæ per matrimonium contrahitur, eadem voluntas, idem spiritus, requiri-tur. Quod etiam Apostolus docet dum cit. cap. V. Eph.

C 2

matri-

20 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

matrimonium, tanquam typum coniunctionis Christi cum ecclesia considerat, ac eo ipso satis perspicue ostendit, vt idem est in Christo & ecclesia spiritus, ita eundem quoque in utroque coniugum esse debere.

*Hinc libera
esse debent
matrimonia.*

*Fit applica-
tio ad que-
stionam pro-
positam.*

§. XXII. Inde vero id puto prono, quod dicitur, alueo fluere, liberrima esse debere matrimonia, spontaneo consensu ineunda, & ab omni coactione remota. Quod prolixius probare supersedeo, cum & euidens hoc sit, nec ad contractum quemuis in eundem cogi soleant homines, & apud Doctores in confessu sit, summam ad matrimonium contrahendum requiri libertatem, adeo, vt quamvis alias negotium metu contractum non sit ipso iure nullum, matrimonium tamen, si metu initum, nullum dicatur, cum ad hoc non sufficiat vt consentiant partes, sed vt libere consentiant requiratur. Hinc ubi non adest virtusque liber in matrimonium consensus, ibi nulla etiam adest obligatio. Sed applicemus haec ad casum illum de quo disputamus. Fac ergo Titium agere contra Seiam ad implendum matrimonium promissum, & cum haec constantissime neget promissionem praetensam, illum huic deferre iuramentum. Fac Consistoria hanc non admittere ad iuramentum, quia contra matrimonium est, & illud potius Titio praestandum iniungere, quia pro matrimonio admittunt praestationem iuramenti, & alias causa haec non posset habere exitum. Hoc praetito quid fiet? cogetur Seia ad consummationem matrimonii per multas, per carceres, aliaque violenta remedia. An hic liberum est matrimonium? An consensus, etiam si ex parte Seiae ad evitandam vim sequeretur, erit spontaneus? An erit hic coniunctio animorum? An vera unitas corporum, ne dicam spiritus?

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS. 21

ritus? Aut ergo hoc omittendum, aut dicendum, libera non debere esse matrimonia. Quod contra omnina diuini & humani iuris principia est. Quod si vero in contrarium concedatur Seiæ, ut iuramentum delatum præstet, tum illa absoluitur ex consensu ipsius Titii, qui dum libere iuramentum detulit, simul tacite consensit, vt, si id præstare Seia posset, absoluatur. Annon ergo iuris rationi conuenientius erit, ex vtriusque consensu libero absoluere Seiam, quam eam inuitam cogere ad matrimonium?

§. XXIII. Manifestius hoc fiet, si insuper consideretur, quam sancta res sit matrimonium inter Christianos, & quam sobrie propterea tractandum. Vbi non quidem in Pontificiorum castra transeo, qui matrimonium pro sacramento habent, quorum sententiam sufficienter examinarunt nostri. Sed tamen nec illorum doctrinam amplecti possum, qui ex matrimonio vix aliud quidpiam, quam solum congressum carnalem faciunt, parum ab ipsis bestiarum congressibus diuersum. Neque vero contra adduci possim ut credam, omnia eorum, qui Christiani vocantur, matrimonia sancta esse, cum pleraque sint turpissima, & ex bestiali appetitu inchoentur & continentur. Verum si considero matrimonia, vti a Deo instituta & in scriptura sacra, maxime noui testamenti, ordinata, non possum aliter quin afferam, sanctissima illa esse debere, & in quibus non tam ad coniunctionem carnis, sed potissimum spiritus, ac in specie ad ipsam Christi cum fidibus unionem respiciendum. Ideo enim Apostolus Epb. V, 32. postquam antea de matrimonio differuerat, immediate subiungit: *Mysterium hoc magnum est: ego vero loquor in Christum & Ecclesiam.* Cum ergo res Hinc omnem

C 3

sanctis.

22 DISSERTATIO IURIDICA DE DELATIONE

*coactionem
respicit.*

sanctissima sit matrimonium, utique sobrie tractandum, nec illotis manibus, sed prudenti deliberatione prævia, ex libero consensu ineundum. Res sacra omnem coactionem respicit. Vti Christus & Ecclesia sibi in uicem liberrime vniuntur, vt nec iniiri nec conseruari illud coniugium spirituale possit per coactionem, ita matrimonia quoque Christianorum tanquam typus eadem libertate constare debent. Et per consequens nemo cogendus ad matrimonium, sed potius iuramento separandi despontati, quam eo non admissa altera pars cogenda. Quodsi enim pars illa, cui iuramentum delatum conscientiae rationem habeat, & se obligatam sciat, fatebitur veritatem, si non habeat, & non vereatur etiam falsum iuramentum præstare, tum quidem perperam agit, sed iudex tamen permittendo non peccat, quia conscientiam eius introspicere non potest.

(3) Ab absurdo quod ex contraria sententia oritur.

Dum nemo a malis hominibus securus erit.

§. XXIV. Non leue etiam robur nostræ sententiae accedit si consideretur absurdum quod ex contraria sententia oritur. In moralibus enim ad euentum quoque & quodnam inconueniens ex hypothesi oratur, respiciendum, ita ut in dubiis casibus semper præferenda sit ea sententia, quæ minus post se trahit incommodum. Inter ea autem primum est, quod, admissa opinione doctorum ianua aperiatur pessimis hominibus, pro suis affectibus ambiendi matrimonia honestissimarum personarum. Potest enim aliquis contra fœminam, cum qua nullum ipsi vnuquam negotium fuit, actionem instituere, & promissionem matrimonii vrgere ac ipsi iuramentum deferre; quo casu cum illa ad eius præstationem non admittatur, iurare tenetur auctor, qui forte, ut contrahere possit matrimonium

nium secundum appetitum suum, hoc non derrectabit; & ita efficiet, vt cogatur pars altera inuita plane & ab isto matrimonio abhorrens. Sed, dixeris, potest forte iustitia pro auctore esse, qui hac ratione in bona causa sua succumberet, si rea iuramentum præstaret: verum sit ita, melius fane est ream absolui & auctorem succumbere, quam vt cogatur illa, & infelix efficiatur matrimonium.

§. XXV. Hinc deuoluor ad infelicissimos euentus, qui ex contraria sententia, qua cogenda est pars inuita, haud raro sequi solent. Vniuent enim istiusmodi coniuges non in vnitate spiritus, sed in perpetuis rixis & dissidiis, quibus ad peccandum alter alterum inducet, ac ita gehennam ipsam adificabunt. Ne dicam de tristioribus euentibus, qui interdum sequi solent, ceu testatur illustr. Dn. Stryk, *in tract. de diffens sponsalit.* *Sed. II. §. 8.* cuius verba hic adduxisse non erit a scopo alienum: *De cetero quanta exinde orientur mala, si iudex promiscue compulsionem adhibuerit, & refractorium alteri iunxerit, res ipsa satis loquitur: Etenim inde adulteria, verbera, infidias vitæ, imo cædes quandoque exoriri, exempla sati funesta docelunt abunde. Ino nuper admodum An. 1692. cum in consistorio electorali Wittebergensi sponsa quadom ex hoc solo publica sponsalia se consummare nolle diceret, quod sponsum, iuuenem licet adhuc, nulloque corporis vel famæ maiula notarum, amare non posset, nec persuationibus admonitionibusque locum relinquere, eaque proper per diem & noctem coniun corceri leuiori committeretur, ipso quidem in nuptiis consensit, verum illis consummati, maritus iste paucis post nuptios diebus decepsit, non citra veneni suspicionem. Unde periculosisimum existimo, cogere illos etiam, de quibus constat quod sponsalia rite celebrauerint;*

multo

*Et infelicissimi euentus
ex coactione
sequi solent.*

24 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

multo minus ergo dubitandum de iis personis, de quibus hic agimus, vbi adhuc incognitum, an sponsalia vñquam celebrauerint, cum altera pars id constantissime neget.

(4) *Ex contradictionibus dissentientium.*

*Quia trans-
actionem
concedunt
quando pro-
missio matri-
monii dubia.*

§. XXVI. Non leue quoque veritatis argumentum est, si doctrina vbiuis cohæreat, vna enim est veritas, & sibi constans, hinc non possunt ex uno principio contrariae promanare conclusiones: Ut adeo magnum perditæ cause indicium sit, si aduersarii sibi ipsi contradicant, & quod uno loco negant, alibi fateri coguntur, si non expressis verbis, re ipsa tamen & per necessariam consequentiam. Quapropter pro fundanda sententia nostra nunc ostendemus, dissentientes sibi ipsis contradicere, quod si fecerimus, proprio, vt in proverbio dicimus, gladio eos iugulare ac ita victoriam reportare certissimam, licebit. Sed ne cum turba nobis res sit, demus ipsi Aduocatum, & quem magis quam Carpzouium, qui sententiam communem satis preesse sequitur, & approbationem quoque Consistoriorum meruit. Is vero cum se his assedit, quando iuramentum contra matrimonium non admittit, rationem in prohibita transactione negatiua super matrimonio querit: *Quomodo erit, inquit, admitteretur delatio iuramenti, postquam hoc cum transactione pari passu ambulat;* Iurispr. Conf. l. 3. def. 44. n. 11. Sed idem d. Tr. l. 2. def. 233. postquam num. 4. approbauerat sententiam, quod transactione non valeat contra matrimonium & n. 6. exinde deduxerat, quod iuramenti negatiui delatio in matrimonialibus non valeat, n. 7. ita pergit: *sed vera hoc sunt quando vinculum matrimonii iam est contractum, deque eo certo constat, quod sane per nullam transactionem rursus dissolui potest.* Secus vero res se habet, si de promissione matrimonii

trimonii abduc sub iudice lis sit, nec ea ab actrice fuerit probata, aut difficulter probari posse. --- Quid si ergo in casu praesenti de coniugii promissione haud parum dubietur, non potest prohibitor transactionis ad eum extendi casum. Quam sententiam ibidem satis prolixe defendit, & Doctores consentientes adducit. Sed quæso an maior potest esse contradicatio? Nemo enim sanæ mentis deferet parti aduersa iuramentum super promissione matrimonii, si contraria sufficienter probare possit. Tum ergo deferri solet, cum res dubia, & non constat iudicii, matrimonium esse promissum: Et de hoc casu agit Carpzou. lib. 3. dec. 44. vti ex præiudicis subiectis patet. Hanc vero delationem iuramenti ideo improbat, quia non valet transactio: Et idem tamen antea lib. 2. dec. 233. dixerat, in tali casu, vbi non constat certo de matrimonii vinculo, valere transactionem. Annon haec sunt contraria: concedere transactionem in casu dubio, & tamen in eodem casu dicere non valere transactionem, & ideo non admittendam esse delationem iuramenti? Hinc concludo: Si valet transactio contra matrimonium in casu dubio, valebit etiam delatio iuramenti. Quam connexionem non negabunt aduersarii, quia ipsi hoc argumento, a transactione ad delationem iuramenti vtuntur. Prius pariter verum dicunt cum Carpzouio. Posterius ergo sua sponte sequitur.

§. XXVII. Eiusdem farinæ est, quod Carpzo- Nec auctorem
nus cum Doctoribus reum ad iuramenti delati præ- ad iuramen-
stationem non admittat, & tamen nec auctori iuramen- tum supple-
tum suppletorium concedat. Quia de re Carpzou. torium ad-
mittunt.
Iurispr. For. P. 1. cap. 22. def. 3. n. 3. ita scribit: Nec locus est
in causa matrimoniali iuramento necessario sive in supplemen-

D tum

26 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

rum c. mulieri 34. X. de iure iur. Nec reus nolens volens, si actor iurauerit, in matrimonium detrudatur, contra libertatem matrimonii. Quod postea repetit P. 1. cap. 23. def. 10. n. 11. 12. Vbi primo notandum, fateri Carpzouium, neminem inuitum in matrimonium detrudendum, sed hoc contra libertatem matrimonii esse, cum tanien ipse cum suis affeclis toties quoties compulsionem & coactionem inter desponsatos suadeat. Verum ut patet, quam sibi non constent Doctores, quaro, quid faciendum in casu hoc, si actor non admittendus ad iuramentum suppletorium? dicens, purgatorium praestandum a reo: sed de hoc deinceps. Quid ergo si nihil plane probatum, nec indicia contra reum sint, ut adeo nullum iuramentum purgatorium locum habeat? Aut reus absoluendus, sed ita iniuria fieret aetori alia probatione destituto, si, non attenta delatione iuramenti, reus pure absoluueretur: aut reus cogendus ut iuramentum referat, sed hoc effet contra libertatem matrimonii: aut actor admittendus ad iuramentum, verum sic etiam sequeretur coactio, ut §. XXII. diximus, & illud resurgeret absurdum, ut ad iurandum admittendus sit actor si nihil probauerit, non autem sit admittendus ad suppletorium, si plus quam semi plene probauerit. Videant dissentientes quomodo haec concilient.

Sed reo purgatorium in-reat illa Doctorum sententia, cum ea qua reum ad purgatorium admittunt. Ita vero Carpz. d. P. 1 C 22. d. 3. n. 4. dicit: *Veroque igitur casu* (tam si iuramentum delatum, quam si ab auctore semiplene probatum, & iuramento suppletorio locus non est) *succedit iuramentum purgatorium, ne reus simpliciter absoluatur, sed deterri-*

27

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS.

*tus iuramento purgationis, matrimonium, quod actor contra-
etum dicte, fateatur atque in illud consentiat.* Verum si
actor tantum deculerit iuramentum & nulla alia con-
tra reum sint indicia, quomodo potest locus esse iura-
mento purgatorio? Cum in præcedenti *d. 2. num. 3.*
ipse Carpzouius ad iuramentum purgatorium suffici-
entes præsumptiones & indicia contra reum requirat:
quod prolixius facit in *Iurispr. Consist. l. 3. d. 45. num. 7.*
qualis hæc est contradic̄tio? Fateatur ergo, reum ad-
mittendum ad iuramentum, verum non vult id voca-
re delatum, sed purgatorium, cum tamen purgatori-
um esse non possit. Adeo rem tenentur fateri aduer-
sarii, & tantum in nominibus præsidium querunt, sed
perperam. Dicis: Non defertur reo purgatorium
vt ita iuret contra matrimonium, sed vt deterritus fa-
teatur & consentiat: Ast, quid si fateri non possit sal-
ua conscientia? ex mente tamen Carpzouii admitten-
dus ad iuramentum purgatorium. Si porro instes:
ergo tum saltim purgatorio locus, si indicia sint con-
tra reum; respondeo, absurdum esse, admittere reum
ad iuramentum contra matrimonium si indicis grauatus,
& tum, si nullis grauatus, eum admittere nolle;
maiori sane fauore hoc, quam illo casu dignus est.
Sed videtur rationem disparitatis dedisse Carpzouius
Iurispr. Consist. cit. d. 45. n. 5. & 6. vbi de hoc iuramento
purgatorio in matrimonialibus ex professo egit, scilicet
quia iuramenti delatio fit priuata autoritate sed
purgatorium ab ipso iudice defertur, & quidem, vt ver-
ba eius habent, *non indifferenter, sed si causa prohe cogni-
za, omnibusque circumstantiis exacte ponderatis, ei sic visum
fuerit, veluti accuratam NB. indicitorum ac præsumptionum
disquisitionem iuramenti bivis impositio regulariter requirit.*

D 2

Sed

28 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

Sed, vt ad vltimum prius respondeam, non ergo erit locus purgatorio, si ab auctore sine indicis iuramentum reo delatum, quod tamen concesserat *in Iurispr. Forens. cit. loc.* Deinde, agimus hic de delatione iuramenti in iudicio facta, quod pariter praestandum accidente autoritate iudicis, *I.12. f.1. C.de Reb. Cred.* Cum ergo autoritas iudicis faciat vt praestari possit purgatorium, cur non eadem operari debet, vt delatum iurandum sit? Sed nolo his infinitis contradictionibus doctorum vltierius inhaerere. Quin potius, ex his quæ dicta sunt, manifesto constare existimo, admittendum esse reum ad praestandum iuramentum delatum, etiam si contra matrimonium tendat.

*Ampliatur
nostra sen-
tentia.*

§. XXIX. Id tantum breuissimis adiicio, non modo sententiam nostram intelligendam, de casu si agatur ratione promissi matrimonii, sed & si prætendantur matrimonium iam consummatum esse, veluti si fœmina agat contra masculum quandam & eum maritum suum dicat, ac in casum negationis ipsi iuramentum deferat, etiam hunc ad præstationem iuramenti admittendum esse censeo. Liceat enim decisio hæc magis adhuc dubia videri posset, eadem tamen hic quoque concurrent rationes. Nec obstat, quod ibi tantum sponsalia propter illud iuramentum, si præstitum fuerit, hic ipsum matrimonium, dissoluatur; nam respondeo, nec ibi dissolui sponsalia, nec hic matrimonium; Dissolutio enim præsupponit existentiam rei, quæ vtroque casu negatur, nam eadem facilitate falso pretendi potest consummatio matrimonii, qua promissio: Et sic vtrinque res dubia. Sane non potest matrimonium contrahi, vt non de eo constare possit, maxime cum moribus requiratur benedictio sacerdotalis. Si ergo

ergo hanc docere nequeat actor, & tamen afferat, matrimonii consummationem, reus vero constantissime neget; quid faciendum iudici? An cogit reum? sed forte huius negatio vera, & actoris assertio falsa est. Absurdum autem est cogere homines ad continuandum matrimonium, quod an vnquam contractum sit, ignoratur. Solius vero Actoris assertioni nudæ fides non statim haberi potest. Occurrent ergo eadem difficultates in hoc casu, quæ in priori occurrerant: Neque ylo modo euitari possunt, nisi admittamus reum ad iuramentum delatum. Cum itaque necessarium sit, vt lites in iudicio motæ aliquando finem inueniant, nec immortales fiant, haud dubia sequenda nostra decisio, qua & ratione nititur, & ad terminandas controværsias apta est.

§. XXX. Nunc ergo videndum est quid responderi possit ad rationes dissentientium supra, §. IX. & ad rationes seq. adductas, ne vnum relinquamus dubium. Vbi contrarias quidem in genere omnium aduersariorum argumenta vno istu prosternere possem, dicendo, in omnibus præsupponi sponsalia & matrimonia iam esse contraria, & propter præstationem iuramenti iterum dissoluenda, quod cum hic non sit, sed adhuc de eo disputetur, collapso isto fundamento, simul corruunt omnia, quæ ei superstructa: verum cum ista argumenta occasione suppeditent, addendi quasdam obseruationes non inutiles, nunc ordine ad examen singulas res uocabimus.

§. XXXI. Quod ergo primum argumentum in specie ad admittet, nemo erit qui indissolubilitatem matrimonii rationem. a Christo assertam in dubium vocare audeat. Verum abusus do- non pauci hodie ista doctrina Christi abutuntur: *eterna Christi*

D 3 Qua. sibi.

30 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

Quacunque ratione coierint homines, etiam si sola carnis cupiditate ducti, si modo ad altare accedant, dicuntur: Quos DEVS coniunxit, homo ne separet. An autem Deus coniungit, qui non autore DEO, sed potius autore diabolo, per mille artificia ac fraudes & persuasiones coniunguntur? An sufficit litteris nuptialibus inserere: Dein nach ich durch sonderbahre Schickung Gottes mich mit N. N. ehelich verlobet, cum potius scribendum esset: durch sonderbahre List und intriguem? Annon potius a ministris ecclesie inquirendum esset, qua intentione contraheretur matrimonium, antequam contrahentibus manus imponebant, & diuinam benedictionem pollicerentur? Sed transiant haec, tanquam a scopo nostro aliena. Interim non possum non meminisse illius abusus, qui in consistoriis frequens est, dum licet dolo ac fraude ad matrimonium contrahendum altera pars adducta, & ita matrimonium nullum sit, tamen separare nolunt, personas, inter quas ne quidem matrimonium est, ex ratione, quod Deus illas coniunxerit. Videatur pluribus Dn. Praeses in *Dissert. inaugurali de Nullitate matrimonii*, quæ adiecta est tractatui Dn. Strykii de *Dissensu sponsalio Sect. V.* Verum ut ad rem nostram accedamus, hic quoque eadem doctrina abutuntur Doctores. Nondum constat an DEVS hos coniunxerit, quia in confessio nondum est, matrimonium inter eos intercessisse, & tamen nolunt separare: quamuis nec separari dici possint, vbi non probantur coniuncti. Cogere volunt ad matrimonium inuitos, cum tamen Deus non coniungat nisi volentes. Indissolubile dicunt matrimonium, quod non existit: non existere autem in foro externo dicitur, quod non potest probari: de occultis

Etiam in
presenti
casu.

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS. 31

cultis autem ne quidem ecclesia iudicat. Admissio itaque iuramento non dissoluitur matrimonium, quia non constat an vnquam contractum.

§. XXXII. Pergo ad secundam obiectionem su-
pra §. X. adductam, qua probare intendunt dissentientes, eandem sponsaliorum & matrimonii conditio-
nem esse. Sed aduersus nos hæc nihil faciunt. E-
quidem non concedo aduersariis, eandem utrobique
rationem subesse, sponsalia non sunt matrimonium, &
matrimonium non sunt sponsalia. Neque a sola ap-
pellatione ducendum est argumentum ad ipsam rei
veritatem, sponsalia in quodam tertio cum matrimo-
nio conueniunt, sed non in indissolubilitate. Quam-
uis enim nec sponsalia temere dissoluenda, facilius ta-
men concedenda separatio desponsatorum, quam con-
iugum, cum illic res vndiquaque integra sit, non hic:
quaæ omnia latius, reiectis argumentis contrariis, ex-
cussit Dn. Stryk. *Tract. de Diffens sponsal. Sect. III. §. 24.*
segg. Vbi simul, quantum inter matrimonium & spon-
salia intersit, solide demonstratur, & quantas adhuc a
pud nos radices egerit hypothesis pontificia, quod
matrimonium sit sacramentum, ostenditur. Verum
hoc loco vel ideo hac repetere necessarium non est,
quia hic agimus de casu, vbi nondum constat an spon-
salia contracta, & promissio de matrimonio adsit, &
sic non agitur de sponsalibus dissolvendis, sed de pro-
bandis. Quousque ergo nondum constat an obliga-
tio sponsalitia adsit, eousque frustra disputatur, an
dissolui possit, quia priuatio præsupponit habi-
tum.

§. XXXIII. Quod porro argumentum contra nos ducitur ex indole rerum spiritualium, id prolixam
de

32 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

de origine causarum spiritualium disquisitionem mereretur, notum enim est Pontificios ideo tot causas spirituales dixisse, ut hac ratione illas a potestate iudicis secularis eximere, & ad forum ecclesiasticum trahere potuerint, sed nunc non patitur ratio instituti ut hæc discutiantur. Sufficiat hic illud dixisse, etiamsi in sponsalibus aliquid spirituale subesse concederemus, illud tamen quod in controversiam venit, & in foro externo ventilatur, non est spirituale; scil. an promissum sit matrimonium, an securus? vid. Dn. Stryk. *tract. de Dissenf. sponsal.* *Sect. III. s. 28. seqq.* Hinc quando dicitur, spiritualia magis conseruanda quam dissoluenda, quamvis hoc restrictionem mereretur, non aliter tamen verum esse potest, quam si illud negotium rite contractum, & iam perfectum sit, quod in hoc casu non est. Non ergo per iuramentum præstitum dissoluitur hoc negotium, sed ostenditur nunquam tale quid contractum esse.

*Reff. ad 4.
rationem
dub.*

§. XXXIV. Quod porro vrgent dissentientes, per sponsalia fœdus cum Deo iniri, id fateor, me non intelligere. Textus scripturæ sacræ supra §. XII. citati & de matrimonio ipso legitime contracto, non de sponsalibus, agunt, & alium plane sensum habent, ut contrariae sententiæ ne minimum quidem præsidium præstare possint. Sane vnicum est hominum cum Deo fœdus, & quo ad omnia officia homines erga Deum pariter & proximum adstringuntur, hinc non istantum violat fœdus Dei, qui matrimonii vinculum violat, sed omnis, qui quacunque in parte perfidus est, & contra amorem Dei & proximi agit. Nihil ergo hac in parte specialius in sponsalibus est, quam in aliis negotiis honestis. Verum nos non dicimus recedendum

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS. 33

dum esse temere a fide sponſæ data, fed dicimus, non coniungendos esse, inter quos non conſtat, an vñquam fides interceſſerit.

§. XXXV. Quod vltierius mouetur dubium, ab illico compromiſſo contra matrimonium, hoc theſſin noſtram non ferit. Largior, non licere compro- rationem dub. mittere in arbitrium tertii, vt ex eius ſententia facultaſ detur, a matrimonio rite contracto & perfecto recedendi. Verum de hoc caſu non diſputamus, fed de illo, quando dubium eſt, an vñquam promiſſio de matrimonio contracto facta: In quaſtionebus dubiis locuſ utique eſt compromiſſo, ſi alias certitudine rei habeti nequeat. Sit ergo, in delatione iuramenti ſubefte compromiſſum, quid inde? Respondet Meuius §. XIII. citatus, hac ratione ex arbitrio partium diſſolui vinculum nuptiarum: Aſt non diſſoluitur, quia nondum probatum eſt adiuſſe vinculum; quod non eſſe appetet, non potest dici diſſolui.

§. XXXVI. Sequitur nunc primarium argu- mentum, in quo vnicę quaſi fundamentum contrariæ rationem ſententiae ponitur, deſumtum ab illicita transactione in dub. matrimonialibus. Sed huic rationi iam ſatisfecit Dn. Stryk. d. Tract. Sect. III. n. 33. Et nos quoque ſupra oſtendimus §. XXVI. concedere Diſſentientes transactionem, ſi quaſtio ſit dubia. Atqui de quaſtione dubia hic agimus. Non ergo hic transigitur ſuper matrimonio, ſed ſuper quaſtione, an ſponsalia con-tracta, an matrimonium initum: Et ſic corruit hoc argumentum, cui tantopere confidunt docto- res.

§. XXXVII. Neque neceſſum eſſe putamus hærere circa eam, qua §. XV. proposita eſt, ratio- nem: dub.

E

34 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

nem nam primo, non agimus de sponsalibus iam perfectis, mutuo dissensu dissoluendis, quia reus negat sponsalia vñquam intercessisse; deinde etiam sponsalia perfecte contracta libera vtriusque voluntate dissolui posse, solidissimis argumentis demonstrauit Dn. Stryk.
d. Tract. integro Sect. III. quorsum lectorem breuitatis causa remittimus.

*Reff. ad 8.
rationem
dub.*

§. XXXVIII. Quod tandem ultimum concernit dubium §. XVI. allatum, fateor, omni ratione evitanda esse scandala, & vtinam in iis tollendis sollicita magis essent consistoria! sed non sunt fingenda, vbi nulla reperiuntur. Non est ludendum matrimonii & sponsalibus, sed non luditur, quando pars altera non vult coacte inire matrimonium, ad quod se nunquam obligauit. Non est temere recedendum a sponsalibus rite contractis, verum nec temere compellendi, inter quos nullum intercessit vinculum. Maius est scandalum constringere libertatem matrimonii, quam salua libertate concedere discessum iis, inter quos certo matrimonium infelix metuendum.

*Nonum du-
bium pro-
ponitur & re-
solvitur.*

§. XXXIX. Dum haec scribo & priora iam typis impressa sunt, incido in duo alia dubia quæ praetermittere non possum, vt ita omnia tela aduerfariis eripiantur. Primum est, quot Setserus *Tract. de iuro-*
ment. l. 4. c. 4. n. 7. circa finem proponit: *Præterea*, inquit, *posset evenire, quod superuenientibus nouis probationibus, op-*
eret matrimonium in veritate contractum fuisse, & sic de-
regeretur periurium, quod esset quiddam intolerabile, cum in
causa matrimonii sententia non transeat in rem iudicatam.
cap. labor. de Re iudic. Respondeo, si superueniant nouæ probationes, adhuc consummari potest matrimonium & periurus puniri. *Quod si interim reus cum*
alia

IVRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS. 35

alia matrimonium contraxerit, tanquam bigamus punietur. Non erit admodum intolerabile, matrimonium non contraxisse cum periuro, a cuius matrimonio potius abstinendum. Deinceps, ad illud posset, respondeo per non posset: posset etiam non euenire. An ergo interim res per totam vtriusque vitam in suspeso relinquenda, quia posset hoc euenire? Quando erit finis litium? Properandum est, ne lites fiant immortales. L. 13. C. de iudic.

§. XL. Alterum quod moueri posset dubium, apud doctores quidem reperire non licuit. Sed posset contra totam dissertationem opponi, ideo nec illud tur. *Aliud dubium decidi-*
intactum relinquendum. Scilicet, aut adsunt contra reum quædam indicia, & sic iuramentum purgatorium concedunt Doctores, ut ita delationi iuramenti non sit opus; aut nulla adsunt indicia, & sic si intercesserunt sponsalia inter partes, haud dubie fuerunt clandestina, quæ cum inualida sint, secundum mores plerorumque locorum, frustranea erit iuramenti præstatio, nam etiam si confiteretur reus promissionem matrimonii, non tamen obligabitur, quia fuerunt sponsalia clandestina: Ergo nullo casu locus esse potest delationi iuramenti. Verum, quam speciosa etiam hæc sint, non tamen solidi quid in recessu habent. Fateor enim, si promissio matrimonii inualida fuerit, tum ne admittendum quidem ad iuramentum reum, cum id non releuet, sed eum pure absoluendum; ast non sequitur, deficiunt alia probationes & indicia contra reum, ergo oportet ut sponsalia fuerint clandestina. Potuerunt coram parentibus vel testibus fuisse contracta, & nunc demum post mortem eorum institui actio, vbi & super hoc ipso punceto,

36 DISSERTATIO IVRIDICA DE DELATIONE

an testes adfuerint, iuramentum deferri potest. Quid ergo hoc casu faciendum sit in præsenti quærimus. Sed tum obtinebunt ea quæ diximus haetenus, & permittendum iuramentum etiam contra matrimonium.

*Concluditur
dissertatio
cumpræundi-
cio Faculta-
tis Halensis.*

§. XLI. Et hæc sunt quæ in præsenti, pro statibilienda sententia nostra, contra fententiam contrarium communem, adferre, tempus & ratio instituti permisit. Quæ omnia ut non pro nihilo habeantur, colophonis loco subiicere lubet assensum illustris Facultatis iuridicae huius loci, quæ præcedenti anno, mense Octobri, sequentem in modum respondit:

Sie wohl Kläger der Beklagtin das iuramentum expresse super negativa deferiret, daß sie ihm die Ehe nicht versprochen, und also reue ra die delatio contra matrimonium ist, in welchem fall secundum communem Doctorum opinionem die Cy des-delation nicht statt hat, indem niemand erlaubet ist, sich von der einmahl geschlossenen Ehe Verbindung durch seinen Eydloß zuwirken. Weil aber den noch diese communis sententia dieses vornehmlich zum Grunde setzt, quod super matrimonio non valeat transactio, und ein grosser Unterscheid ist, an transigatur super matrimonio contracto, an super sponsali bus vel matrimonio contrahendo, allermassen jenes eine indissolubilitatem ex Iure divino mit sich führet, diese aber ex honesta causa per transactionem wohl dissoluiret werden können, und also supposita facultate transigendi die iuramenti delatio auch statt finden muß, hiernebst die Cydes-delatio ein im Rechten ver gönnetes Mittel ist, dessen man sich zum Beweis überall

herall gebrauchen kan, wo nicht die Rechte ein anders deutlich verordnen, welches aber in materia sponsaliorum sich nirgends findet, da doch diese caula fauorabilis ist, und daher via probandi mehr zu extendiren, als zu restringiren, welches iedoch geschehen würde, wann man aus Mangel der Zeugen den End nicht deferiren könnte, wodurch zugleich Gelegenheit gegeben würde, das Cheliche Versprechen promiscue ins Leugnen zu ziehen, wenn dieses vor eine beständige Regul ausgesetzt bliebe, daß niemanden der End darüber deferiret werden könne, daß er die Ehe nicht versprochen, zu geschweigen, daß hierunter zugleich eine delatio iuramenti pro matrimonio tacite enthalten, indem, wenn der Beßlagte nicht schweren kan, daß er die Ehe nicht versprochen, ex ipso facto das matrimonium zugestehet, und ob wohl einige hieselbst die gravitatem causæ matrimonialis entgegen sezen, daß solche der criminali compararet werde, dennoch diese comparatio nicht absoluta, indem auch sonst pro matrimonio kein End deferiret werden könnte, weil ja pro criminis commissio kein iuramentum affirmatiue zu deferiren erlaubet ist, indem nemand durch des andern iurament sich zur Leib- und Lebens-Straffe verbinden lassen kan; zu geschweigen, daß das iuramentum purgatorium so wohl in criminalibus, als matrimonialibus contra commissum crimen & contra promissum matrimonium unstreitig zugelassen wird, und daraus zugleich folget, daß die iuramenti delatio contra matrimonium an und vor sich nicht ungültig seyn könne; dabei auch auf das periculum perjurii nicht zu sehen, weil solches so wohl in dem iuramento purgatorio, als in dem iuramento judiciali pro matrimonio delato

E 3

sich

38 DISSERT. IVRIDICA DE DELATIONE &c.

sich zutragen kan, indem ein leichtsinniges Gemüth eben so leicht pro matrimonio, damit er eine reiche Braut nicht verliehre, meineydig werden, als contra matrimonium schweren würde.

So erscheinet hieraus allenthalben so viel, daß super promisso matrimonio die Endes-delation allerdings statt finde, da iedoch dem Beklagten, so er nicht schweren wolte, sein Gewissen mit Beweis zu vertreten, oder auch pro matrimonio den End zurück zu schieben, frey bleibt.

B. N. W.

SOLI DEO GLORIA.



he
iche
ntra

daz
ller
nicht
tre

halley, miss.) 1702 (Sa/Styrk)

ULB Halle
001 540 882

3



5b.



77.

DISSESSATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS,
DE
DELATIONE
IVRAMENTI
IN
MATRIMONIALIBVS,

Von der
Eydes-Delation in Ehe-Sachen,

QVAM
PRAESIDE
DN. IO. SAMVELE STRYCKIO,
D. PROF. PVBL. ORD. ET FACVLT. IVRID.
H. T. DECANO,

IN ILLVST. ACADEMIA FRIDERICIANA

A. 1702. Mense Febr.

RESPONDENDO PROPUGNAVIT
PAVLVS KRIEBEL,
NEOSTAD. VARISC.



HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS HENDELIANIS, 1739. (5)